

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 18. (Neovidensis 1808. Nro. 17.)

*Politica mortuorum Colloquia.*

Elisium Meum. - Die Veneris. 18. Mar. 1808 (Nedv. 26. Feb. 1808.)

Gustavo Magno fueramus Pergama quondam  
Bis Sexto Carolo rulerant quid inania bella?  
Quid sumus? heu! fateor quod inane pugnabamus  
Cur nunc pugnamus? nescio; Rexne sciet?

*Colloquentes Manes.*

*Gustavus Vasa. Kellgren.*

**K**ellgren. Omnes adversus Albionem insur-  
gere oportet, omnes hostili animo præditos esse  
*Gustov.* Cur & Sveciam?

*Kellgren.* Omnes olim hostes erant Galliæ  
ita & Svecia; at ad Niemenem proelium com-  
missum est, & omnia conversa; sola Svecia  
sibi constat.

*Gustav.* Ampla Majorum vis! prisca pa-  
triæ gloria! tuam imploro manum!

*Kellgren.* Hæc una est, quæ adhuc ani-  
mos addit, at & hæc virtus vergit!

*Gustav.* Ut hoc intelligis?

*Kellgren.* Vadimonium pacis Osnabrug. præ-  
primis nostram adhuc patriam Sveciam di-  
stinxerat. Erat hæc reliquiæ veteris gloriæ  
quamquam nullas amplius vires ei adjicere

potuerimus; O magne Sveciæ dominator! nos unica orbis potentia sumus, quæ quovis olim tempore secunda fortuna bellagessimus; & tamen continuo jacturam tulimus, continuo decrementum passi sumus; Magnus ille Gustavus religionis causa dimicabat, Carolus hujus nominis XII. Alexandrum M. æmulandi studio abreptus arma induit, & denique in medium Penninsulæ Scandinaviæ relegati ultimum adhuc vadimonii spiritum exhalavimus, qui per novissimas etiam in Germania innovationes desiit.

*Gustav.* Superi! dedistis multa nobis, plura postmodum ademistis!

*Kellgren.* Pomerania nostra modica hæc ditio ceu testis rerum in Germania olim a nobis gestarum — ab hostibus occupata est; Russi, in quos occasione quorumvis bellorum, quæ cum Turcis gesserunt, peccavimus, in Finniam irruerunt, nullum amicum, vindicem nullum in continente implorare possumus.

*Gustav.* Miræ fatorum vices! metropolis Imperii Russici in Svecico olim territorio fulget; quanta meditationum seges! quanti ad dissolutionem progressus;

*Kellgren.* Dania quoque, status hic olim nobis infensus, adversus nos nolitur; sola nostra spes Anglia nititur, quæ omnibus maribus dominatur, verum in continente nullum pedem impune figit. Russia immanis, nobis vicina imminet, quid prælia Anglorum maritima, eorumque navales triumphus juvant, quem Russorum in Finniam irruptioni ponent

obicem? Devastationes Annorum 1770 & 1740 in hoc Magno Principatu in viridi adhuc sunt memoria. Antè Majum nulla Anglicana Classis Mare Balthicum subire potest, & usque eo Russi jam procul penetrare possunt.

*Gustav.* Quævis tempore utilissima Sveciæ Politica fuit Galliæ adhærere.

*Kellgren.* Plane ita est: Gallia optimus fœderatorum nostrorum status ipsis illis, quibus non tantam in Europam auctoritatem habuerat, ac hodie, fuit; at his ipsis temporibus, quibus plurimum opis præstare posset, divinæ placuit providentiæ regem nostrum ad id permoveere, ut Galliæ amicitiam abrumpat, hæ sunt inscrutabiles vices. Fortassis si Svecia postremo bello Galliæ partes secuta fuisset, atque ex Finnia exercitum promovisset, alius rerum exitus fuisset; fortassis in bilancem politicam notabile pondus injicere potuissemus; fortassis amissas provincias revindicassemus? — at hoc temporis momentum instar avis avolavit, & patriæ dulcissimæ nostræ tristes imminent prospectus.

*Gustav.* Equidem adhuc Finnis confido, populo huic cardinali, qui a borea Europæ in Siberiam & Caspium usque mare porrigitur.

*Kellgren.* At hic terrarum tractus plurimum paret Russis. In hujus argumenti tractatu adnotare debeo: Finniis proprium idioma esse: quod cum lingua Hungarorum, quos ejusdem aboriginis esse probabile est, plurima ex parte concordat. Ceterum: quid valet una provincia adversus potentiam Russiæ? profecto, quo

nam talo Svecica politica nitatur, menti meæ impervium est, quippe: Hafnia de 16. Febr. sequens legitur: — Litteris Helsingora de 14. h. m. scribitur: post adventum Cursoris Danici, a ministro nostro Holmia expediti, nuncium de ingressu copiarum Russicarum in Finnam Svecicam confirmari videtur, id quoque contendebatur: copias Svecicas maxima celeritate medio traharum in eam regionem expeditas esse; prout etiam: 3000 vires ex Hannoveranis copiis sub protectione duarum navium de linea & uno navigio in 31 nave transvectoria Gothenburgum adpulisse; atque alteram transpositionem copiarum propediem expectari.

*Gustav.* Id quidem nec Danis gratum accedere debet: Russos magnos in Svecia progressus facere; quibus ii propiores redduntur, & nos Svecos vicinos præ Russis optare debent.

*Kellgren.* Id credibile videretur, sed in Politica omnia impervia rationi sunt.

*Gustav.* Lubet super his meditari, rationem habeo mutationum hodie adeo frequentium, interim fert animus in proximo hoc nemore viridi sub arbuto publicas paginas percursare, (ambo lucum subeunt, & Kellgren legit sequentia.)

*Petropoli die 3. Febr.* Anno superiore valor Petropoli & Corona navibus evectarum mercium effecit 28 milliones 945,545 Rubelas contra invectarum milliones 15,303,483 Rub. Ex his Angli importavere 4,386,400 Rub. in valore, exportavere in valore 11,794,404 Rub. Numeros adpulsarum navium effecit 851, e quibus

440 Anglicanæ, 121 Svecicæ, 88 Americanæ, 68 Danicæ, 32 Lubecensis, 2 Hamburg &c.

*Moscuæ sub 20. Jan.* Sequentia scribuntur : Comes Alexius Orlow, qui olim Classem Ottomanicam ad Tschesme succenderat, superiore hebdomade vitam cum morte commutavit. Die solennium exequiarum comparuit senio confectus Sergeant Isotoff octogenario proximus, qui vice quadam Comiti vitam discrimini eripuit; & jam ab annis 30 in domo defuncti pensione donatus vitam egit, hic canitie venerabilis palatium, in quo funus Comitis expositum publico conspectui erat, subibat, indutus uniformi militari veste, ornatus numismate, bajulus tumbam per gradus ad feretrum deportare adjuvabat, quamquam ob senectam ab hoc labore eum dehortarentur, ad Sandapillam lacrimis madente vultu defuncto vale supremum dixit, vociferans: non opinatum se esse, sibi longiorem vitæ terminum futurum, vires tamen admodum intendisse oportuit, siquidem e vestigio delinqui animo, & paucis post minutis, quem deplorabat, in tumulum secutus est.

Hæreditas Comitis ad quinos millones Rubelarum æstimatur; in ære parato, & 32,000 Colonis, una quam reliquit filia hæres est ampli hujus patrimonii.

*Parisiis die 21. Febr.* Generale Consilium Departementi Sequanæ, quod vicem Consilii municipalis Parisiis sustinet, in 19. h. m. convocatum. Idem Collegium D. Rouillé de l'Étang Præsidentem; Dominum item Montamant Secretarium delegit.

Decretum quo Princeps Borghese Gubernator Departementi trans Alpes denominatur jam etiam publici juris factum est, & de dato 18. hujus sonat.

Hujus pagina sequentia continet :

„Germanicæ Ephemerides adjunctis referta nuncia continent in argumento receptionis D. Caulaincourt in Russia ; omnes & hic apud nos testes erant, quam quæsitis honoribus D. Comes Tolstoi exceptus sit, & utraque natio cum summa voluptate insolita hæc concordiæ & amicitiae argumenta, quæ inter Imperantes suos locum habent, non possunt non contemplari. D. Tolstoi quot hebdomadis venatus Imperatoris socius, jam in sylva S. Germani, jam in saltu Marlyano, nupera vero hebdomade cum Imperatore in nemore Morfontano venatui indulgebatur. Id quoque advertebatur : hunc legatum sæpenumero mensæ Cæsareæ adhiberi, & ea occasione a Sua Maj. dextrum latus occupare.

Navis Americana, quæ ad portum Majoricæ adpulit, perhibentibus Barcinone litteris narrasse fertur ; se in via ab alia Americana nave dividisse ; Classem Principis Brasiliæ, postquam in Insula Madera aquam & comæatum percipisset, primis Jani diebus in Sinum Bahianum Brasiliæ adpulisse.

*Mediolano die 13. Febr.* Vigore Decreti de 5. hujus Palatium cui Brera nomen, deinceps Regii Palatii Scientiarum & Artium nomine insignietur, atque Academicis Conventibus, distribuendisque præmiis &c. consecrabitur exclusis aliis quibusvis finibus, vigore alterius Decre-

ti de 27. Jan. agmen militiæ nationalis Venetiis activum redditur. Hoc agmen nomen statæ legionis prætorianæ Venetæ præferet. Solum Venetiis, aut in Lagunis merebit, ut vicem Copiarum linealium in casu necessitatis obire possit. Servitii tempore paret imperio Gubernatoris & (Commendant) Præfecto militiæ. Constituta dicitur 9 Centuriis, quarum quævis 140 viros censet. Urbs vestes, habitationem, victum præbet, arma, stipendium; minister rei bellicæ procurat.

*Ultrajecto 22. Febr.* Rex noster pro Officialibus & militibus in Frisia Orientali, & Ditione Jeveriæ generalem Amnestiam elargitus est.

Quidquid Anglicanæ & Germanicæ litteræ de excursione & molimine Gallicanarum Classicularum memorant, ad præsens effectus non probavit. Quid si nuncium repente per Telegraphum percrebesceret: Gallicanas copias in Hyberniam excensionem fecisse? Nil admirari! quam sæpe hoc effatum incredulos perculit.

*Stutgarda 22. Febr.* Hodie matutina 6 hora Cursor Suxæ Majestati lætissimum adferebat nuncium: Suam Regiam Celsitud. Principem, Regii Principis Wittembergici conjugem Comburgii hesterno vespere 10. hora masculo partu feliciter levatam esse.

### B I O G R A P H I A.

*Gustavus Vasa.* Svecorum Rex filius Erici Vasa Ducis Gripsholmiæ natus 11. Mait 1490. Christianus II. Rex Daniæ, qui 1518 Svecia potitus, eum Hafniæ captivum tenebat, at Gustavus modum reperit se liberandi — Christiano ob

tyrannidem Svecia exacto Gustavus 1521 Regni primum Vicarius, 1523. Juni 17. ad Upsaliam rex salutatus est. Is Aug. Confessionem regno intulit, multis ex eo turbis objectus, & diversos pertinaces Episcopos regno exigere adactus, in Comitibus Westeræs. 13. Jan. 1543. hæreditariam successionem induxit. 29. Sep. 1560 supremum diem obiit. Erat Gust. Adolphi Avus.

*Kellgren:* (Jannes Henr.) Regius Svecicus Secretarius & Academiae Svecicæ membrum. Natus in Gothlandia occidentali; studiis operam dedit in Universitate Aboensi, Holmiæque institutorem privatum egit usque a Bibliopola Holmberg in societatem elaborandi periodici operis sub nomine Postæ Svecicæ assumptus, cujus æstimationem sæpe vivaci suo scribendi genere auxit, interdum vero politicis suis versutis depressit. Ut Poeta nomen adeptus, rexque in versus redigendis Drammaticis eum adhibuit, maxime in operibus eminebat ingenii acumen, quo ejus opera delectabant; at magis ad promovenda vitia, quam virtutem adhibuit, quo factum: ut ea religioni & morum probitati periculosa sint. Et animi indoles nævis referta erat, cujus præcipua nota avaritia; plurimi Sveciæ Eruditi eum atro bilosum Despotam habebant, qui dotes ingenii sui cum periculo Justitiæ exercet. Postremo vitæ cursu Collectioni scriptorum suorum vacabat, cui ea solummodo adlegit, quæ post fata gloriæ sibi futura existimabat, prodiit ea cum icone auctoris, 1795 die 20. Aprilis; ætatis 43 & 4 mensium vivere defuit.